



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CCIII. Bischof Johann von Lebus bekundet, daß die Bürger Johann und Jakob Lichtenberg von ihrem Oheim, Johann Lichtenberg , einen Theil des Zolles in Frankfurt und gewisse Hebungen in Cliestow ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CCIII. Bischof Johann von Lebus bekundet, daß die Bürger Johann und Jakob Lichtenberg von ihrem Oheim, Johann Lichtenberg, einen Theil des Zolles in Frankfurt und gewisse Hebungen in Clieftow gekauft haben und belehnt dieselben mit diesen Besitzungen, am 16. September 1407.

In nomine domini amen. Anno natiuitatis eiusdem M^o CCCCVII^o, indicione XV, die XVI mensis Septembris, hora nona uel quasi, Constitutis coram nobis Johanne, dei gracia Episcopo Lubucensi, discretis uiris Johanne lichtinberg iuniore et Jacobo, filiis Johannis lichtinberg bone memorie, et Johanne lichtinberg seniore, patruo ipsorum fratrum, ciuibus frankinfordensibus, dictus Johannes senior proposuit publice et in presencia nostra et dictorum fratrum confessus fuit pro se et suis heredibus, se partem suam, quam ipse habuit in tredecim sexagenis et decem grossis bohematicibus annui census in festo Sancti Marthini confessoris et Sancte Walburgis in et de thelonio in frankinfordis singulis annis percipiendis, necnon in duodecim mansis in Villa nostra Clyftow cum pleno iure et vno choro Siliginis singulis annis in Molendino Clyftow, quorum tamen directum dominium ad nos et nostram ecclesiam lubucensem pertinet, et que ipse Johannes senior vna cum predictis fratribus a nobis et ecclesia nostra habuit et tenuit in feudum, eisdem fratribus coniunctim pro summa pecuniarum sibi ab eisdem plene soluta et quam, ut asseruit, ab eis receperat cum effectu, legitime Vendidisse. Partem insuper census predicti, mansorum et chori, idem Johannes senior in et ad manus nostras cedendo resignauit renunciavit eisdem, petens, quatenus dictis fratribus coniunctim eorumque heredibus huiusmodi censum, mansos, chorum predicta in feudum conferre et ipsos de hiis more patrie infeudare dignemur. Nos igitur Johannes episcopus, attendentes grata et fidelia seruicia, que predicti Johannes iunior et Jacobus nobis et ecclesie nostre exhibuerunt et ad exhibendum eos in posterum beniuolos et paratos, vendicionemque et renunciacionem admittentes prefat percipiendorum in thelonio frankinfordensi et XII mansos in villa nostra Clyftow cum pleno iure et chorum siliginis singulis annis percipiend(um in molendino) memorate ville eisdem fratribus et eorum legitimis heredibus cum omnibus emolimentis et honoribus sibi annexis in feudum dedimus et contulimus et dimus et donamus, ita tamen, quod predictorum Johannis et Jacobi fratrum pro tempore heredes predicta bona a nobis et nostris successoribus pro tempore recipiant et petant predicta bona feudalia imminente necessitate seu libera voluntate vendere, alienare seu quouis modo obligare uellent, velint aut voluerint, licenciam nostram faciendum per presentes habeant, nec ipse Johannes lichtinberg senior, patruus ipsorum, qui eis partem suam vendidit, eos in hoc retardare possit Renunciavit eciam dictus Johannes senior in premissis pro se et suis heredibus non sic facti contractus, precii predicti non numerati, non soluti uel non habiti tus et fraudis et quibuslibet alijs iuris canonici et ciuilis ac facti excepcionibus et auxilio, quibus contra premissa uel aliquid eorum facere uel uenire se iuuare. Actum et datum in curia dotis parochialis ecclesie beate Marie virginis in frankinford, lubucensis nostre dioecesis, Anno, indicione, Mense, die et hora quibus supra. Presentibus honorabilibus uiris, dominis magistro Johanne Snegans, scolastico, Johanne hafinfelde, custode, Arnolde Malcho et Johanne Burgen, canonicis ecclesie lubucensis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Nach dem theilweise durch Feuchtigkeit erloschenen Originale des Stadtarchives, Clieftow No. 10.